

www.e-rara.ch

**Athenae Rauricae, sive catalogus professorum academiae Basiliensis ab
a. MCCCCLX ad a. MDCCLXXVII**

Herzog, Johann Werner

Basiliae, MDCCLXXVIII [1778]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 6246

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24279>

Professores medicinae.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PROFESSORES MEDICINÆ.

I. **W**ERNERUS WOELFLIN, f. *Wolf*, primus fuit, qui in Academia Basiliensi Medicinam publico stipendio docuit, ejusque publicum Professore[m] egit. Literis quidem proditum est, a. 1431. tempore Concilii *Andream Richilum*, natione Germanum, insignem Medicum, floruisse Basileæ, qui jussu Sigismundi Imp. ab Ænea Sylvio Doctoratus medici insignibus in solenni panegyri ornatus, Imperatoris Friderici III. Paparum Pii II. & Pauli II. archiater, a Friderico Imp. in nobilium ordinem cooptatus & tanto honore habitus fuit, ut illi sæpius ob unicum morbum feliciter curatum mille aurei & amplius honorarii loco fuerint soluti; sed de hoc, quia ante constitutam Universitatem nostram, nondum Professor, floruerat, plura non adferimus, & Wœlflino merito inter Professores Medicos primas deferimus. Is natus est Rotenburgi ad Neccarum, Sueviæ oppido, ubi & educatus. Ut felici erat ingenio, a teneris annis incubuit bonis literis, & florentes Academias adiit, eo successu, ut Philosophus pariter ac Medicus doctissimus extiterit. Philosophiæ Baccalaureus legitur creatus a. 1444. Postea Magisterii etiam dignitatem adeptus Medicinæ operam dedit, medicique doctoris titulum ac privilegia accepit. Intelligens, a Pio II. novam Academiam Basileæ institui, auspiciis ejusdem interesse constituit, primique Rectoris electioni adfuit. Electus vero & ipse fuit ob morum integritatem & omnigenam eruditionem, cujus solida exhibuerat specimina, Medicinæ Professor, ejusdemque Facultatis primus Decanus a. 1460. quod utrumque munus magna dexteritate & industria administravit. Medicorum etiam extitit Nomotheta, qui primas Medici ordinis leges ac statuta conscripsit & publice promulgavit. Ceterum civibus medicinam faciendo singularem fidem operamque indefessam probavit. Anno a fundata Academia tertio sextus ejus Rector fuerat electus; regimen nempe, quod ab

a. 1532. annum est, antea erat semestris. Tandem ætate & meritis gravis fatis concessit, relictis aliquot liberis, qui ipsi in cœnobio Monialium ad Lapidem hoc monumentum erigi curarunt:

Hic tumulati sunt
Wernherus & Bernhardus
Wolfii
Medicus ille,
sub Academicæ auspiciis
Primus Med. Collegii Decurio;
hic vero Jure consultus
Anno M. D. XX.
sublatus.

Ejus nepos Wernerus Wœlfli, senator, defunctus est pr. Cal. Maii a. 1578. Neptis Margaretha Wœlfli, Joh. Hubero Medico nupta, obiit d. 19. Cal. Sept. a. 1579. & Catharina Wœlfli, neptis, J. Henr. Irmii, centurionis, uxor ob. d. 29. Maj. 1598. cum qua ista familia fuit extincta.

II. ANDREAS ONDORP, alias de Almaria, f. Alcmariensis, in matricula Rectoris vocatur Artium & utriusque Medicinæ Doctor; a Luc. Gerulero Medicus dicitur Basiliensis, idemque, testante archivo academico, a. 1484. Academicæ Rectoratum gessit. Plura de eo reperire non licuit.

III. JOHANNES de TUNSEL, dictus *Silberberg*, ex minori Basilea ortum duxit, & non tantum Philosophiæ atque Juris Pontif. sed & Medicinæ Doctor existit; Medicinam diligenter exercuit itemque in Medicorum collegium fuit receptus. A Jure consultis autem cum in Facultatem cooptaretur, promittere debuit, se Medicorum ordinem deserturum, nullumque porro cum illo habiturum esse consortium, excepta tamen praxi medica, cujus exercitium ei liberum permittebatur. V. Prof. Juris n. 21.

IV. JOH. ROMANUS WONNECKER, Artium liberalium, Medicinarum & Juris utriusque Doctor, Academicæ

mix Rectoratum gessit a. 1519. & 1522. Medicinam publico stipendio conductus docuit jam a. 1504. De isto medico plura non potuimus notata invenire, nisi quod is, cum fasces Acad. iterum teneret, inter Rectores primus fuerit, qui in Matricula de *Martini Luteri, Thuringi, tempestuosa dicacitate* (ita ipsi videbatur) fuerat conquestus.

V. **GUILIELMUS COPUS**, nativitate civis Basiliensis, in patria studiis innutritus est, bonarumque artium & linguarum fundamenta feliciter jecit, quibus fastidium eruditionis superstructurus, Lutetiam Parisiorum se contulit, ibidem S. Medicinæ industrie pariter ac feliciter operatus, multo cum adplausu summum in ea facultate gradum obtinuit; cui studio pro ingenii ubertate disciplinas Mathematicas junxit, omnium amorem & admirationem sibi concilians. Græce Latineque etiam fuit doctissimus, ut Erasmus de eo dixerit: *Medicinam ejus opera primum loqui cepisse*. Quanto honore atque existimatione eum habuerit Erasmus, non inde tantum liquet, quod de eo cecinerit: *Unica nobilium medicorum gloria Copus*, sed & quod gravi morbo afflictus, spreto omnium, qui tum Basileæ erant, Medicorum consilio atque auxilio, omnem salutis spem in hoc solo posuerit, & remedium ab eo efflagitarit, ut testantur Erasmi literæ a. 1526. Parisios ad ipsum missæ. Parisiis etiam ob exactam doctrinam felicemque artis medicæ industriam tanto honore habitus fuit, ut Medica professio ei commissa & Galliæ regi, Francisco I., a. 1530. archiater fuerit constitutus. Hic omnem movit lapidem, ut e scholis medicorum parisiensibus medicos *Arabes*, & ut illos vocitare solebat, *latino barbaros* eliminaret, eorumque in locum græcos introduceret, & editis eorum versionibus familiares artis medicæ cultoribus redderet. Magna nominis celebritate vixerat adhuc sub Ludovico XII. & Lutetiæ diem obiit. Reliquit filium *Nicolaum*, qui in collegio S. Barbaræ professorem egit & d. 10. Oct. 1533. Academiæ Parisinæ sceptrum accepit. Hic cum Calvino commercium habuit literarium, eoque detecto, instigantibus Franciscanis, a Parlamento, ut sui causam ageret, citatus comparere voluit, in via vero admonitus, ne id faceret, reversus fuga salutem quæsit, relictis facultatibus fere omnibus; inscius

vero sigillum academix secum abstulit, & Basileam petiit; trecenti autem nummi coronati ei promittebantur, qui ipsum vivum vel mortuum esset traditurus.

Guilielmus *Hippocratem*, *Galenum*, *Æginetam* testes eruditionis atque industriæ suæ reliquit, id est, non pauca horum auctorum transtulit, nempe *Galenî libros sex de locis affectis*; l. 1. *de morborum differentiis*; l. 1. *de morborum causis*; l. 3. *de symptomatum causis* & *differ*; qui omnes cum latinis Galeni operibus variis in locis exculi sunt. *Ægineta præcepta* & *Hippocratis prognostica* itidem latinitate donavit.

VI. THEOPHRASTUS PARACELUS, sive Philippus Aureolus vel Aurelius Theophrastus Paracelsus, dictus Bombast ab Hohenheim, ingenio magnus, & si literæ accessissent, in suo genere maximus, natus est Eremitæ Helvetiorum, pago duobus milliariis Tiguro distante, a. 1493. Patrem habuit Wilhelmum Paracelsum, Licentiatum Medicinæ, ex principe quodam extra thorum natum. Patris auxilio primum, deinde a chymistis insignibus, *Basilio Valentino* & *Sigismundo Fuggero* institutus, alios etiam doctissimos viros in Germania, Italia, Gallia, Hispania, singulisque fere Europæ regionibus diligenter audivit, & adhibita singulari industria, tantum profecit, ut multi testati sint, in universa philosophia tam ardua, tam arcana & abdita eruisse præter ipsum mortalium neminem. Quin etiam, alter velut Euclides aut Plato, ad ipsos usque *Ægyptios* atque *Arabas* transiit, ac discendi cupiditate aliquot annos apud illos permansit. Jam cum præstantissima quæque peregrinando didicisset & abstrusa multa cognovisset, ita ut multos hinc inde homines gravissimis desperatisque morbis, lepra, hydrope, podagra, aliisque malis liberarit, a *Basilienibus* a. 1521. commendante eum *Oecolampadio*, amplo stipendio invitatus Medicam professionem obiit, & duabus quotidie horis tum *activæ* tum *inspectivæ* medicinæ, & *physicæ* & *chirurgiæ* libros, quorum ipsemet auctor erat, summa diligentia magnoque auditorum fructu publice est interpretatus; illos vero suos commentarios non ab Hippocrate, aut Galeno, aut aliis emendicavit, sed quæ summa rerum doctrina, experientia atque labore ipse fuit adsecutus, in illis proposuit. Docuit autem præter *Academiarum* morem vernacula lingua,

gua, vel saltem mixtim, Latinis partim, partim Germanicis verbis, ut nimirum ab omnibus intelligeretur. Cum autem *Chymia*, vel ut Arabes loquuntur, *Alchemia*, sive, quemadmodum ipse Theophrastus hanc artem nuncupavit, *Spagirica* ita se tradiderit, ut in ea ad miraculum usque excelluerit, tam in philosophando quam in medendo viæ a consueta diversæ instituit; principia rerum statuit tria: *sulphur*, *salem* ac *mercurium*. Medicinam docuit quatuor suffultam columnis, quarum prima sit *philosophia* s. *Physica*, secunda *Astronomia*, tertia *Alchymia* & quarta *virtus* s. *religio*. Alia hujus viri singularia omittimus. Basileæ cum doceret, ibidem commorabatur nobilis canonicus, *Cornelius a Lichtenfels*, vir deploratæ valetudinis. Eum Theophrastus, pactus pretium centum florenorum, quos se numeraturum canonicus ultro pollicebatur, tribus pillulis *Laudani* sui, medicamenti genere, saliva subacti, quo in extrema tantum necessitate utebatur, feliciter restituit. Canonicus parcipromus tam brevi spatio & quidem re, ut videbatur, exili sanatus, pactis stare noluit. Sordidus homo Medicum in jus vocat, cumque iudex mercedem ad minores terminos redegisset, Theophrastus tam vile pretium arti suæ statui ægre ferens, importunius in prætorem est invecus, ita ut læsi magistratus pœna metueretur. A quibusdam igitur magnæ auctoritatis viris, qui honori ipsius studebant, monitus Theophrastus ut se subduceret, triennio post, ex quo Basileæ advenerat, in Alsatiam descendit, relictis Joh. Oporino, quo quasi promo condò utebatur, vasis chymicis plurimisque libris, quos ipsi sæpius vino madidus dictaverat. Inter vivos esse desiit d. 24. Sept. a. 1541. & sepultus fuit Juvaviæ, quod hodie est Salisburgum, in alpibus Noricis ibique Episcopus Salz. ei Epitaphium erigi curavit. Moriens omnes suas facultates inter pauperes distribuendas ordinavit. Plura ejus commentariorum exstant volumina partim edita, partim MS. præstantissima eorum editio habetur, quæ 3. V. in Fol. a. 1658. prodiit.

Ex iis nonnulla nominabimus: *Explicatio figurarum magicarum, quæ Norimbergæ inveniuntur*, germ. *Hand und Denk-Bibel*, Amst. 12. & Mullhauf. 1736. 8. *de vita longa* l. 4. Bas. 1560. 8. *descriptio Laudani*, quo usus est in deploratis morbis, ib. eod. 8. l. *de duplici anatomia*, id. 1561. 8. de

de gradibus, compositionibus & dosibus receptorum ac naturalium l. 7. Mylœcii 1562. 4. *interpretatio aliquot aphorismorum Hippocratis*, Aug. Vind. 3. Tract. *de morbis tartareis*, Bas. 1563. 8. 1570. 8. Argent. 1568. *opus chirurgicum*, germ. interprete Adamo a Bodenstein, Francof. 1566. fol. *defensiones septem*, Argent. eod. 4. *de urinarum ac pulmonum judiciis: tum de Phyzionomia: item de morborum Phyzionomia fragmentum* ib. 1568. priores duo libri eodem anno Coloniae quoque editi sunt a Birkmanno. *Pyrophilia vexationumque liber*, cui accefferunt tractatus *metallorum septem* &c. Basil. *Philosophia magna Collectanea* quædam per Ger. Dorn latine reddita, ib. 1569. *Chirurgia vulnerum* &c. per eundem lat. reddita ib. *de Meteoris* &c. per eundem lat. &c. ib. 1570. *Arbidozororum de secretis nature mysteriorum* libri 10. *de tinctura physicomum* &c. eodem interprete ib. & germ. Monach. 1570. *Occulta philosophia, Archidoxa* &c. ib. 1570. *Chirurgia minor*, quam alias *Bertheoneam* intitulavit, cum ejusdem tractatibus *de Apostematibus* &c. ex versione Dorni, Bas. *Liber Paramirum*, in quo universalis theoria physices & Chirurgiæ origines & causæ morborum traduntur &c. Bas. 1570. *de spiritibus planetarum sive metallorum* l. 3. &c. ib. 1571. 4. *Septem defensiones adversus amulos suos* &c. Colon. 1573. *de natura rerum & de natura hominis*, 1573. *de preparatione Ellebori*, item de *Perforata*: liber editus a Bodensteinio 1568. Libri 9. de *mysteriis nature* &c. *de Mineralibus* &c. Colon. 1570. anglice versi Lond. 1650. 4. Tractatus quinque: 1. *de rebus naturalibus*. 2. *de quibusdam herbis*. 3. *de Metallis*. 4. *de Mineralibus*. 5. *de Gemmis*. Argent. 1570. *Astronomia magna* &c. Francof. 1571. *de thermis Fabavianis in Helvetia*, Argent. 1570. germ. Bas. 1576. 4. *de proprietatibus perfecti chirurgi*, Argent. *de spiritu vite & ejus virtute* &c. Bas. a Bodensteinio primum publicati a. 1572. *Metamorphosis* &c. ib. eod. libri *Paragraphorum* XIV. latino sermone integritati restituti, & explicationibus illustrati a D. Toxite primum editi, Argent. 1578. 8. *Aurora thesaurisque philosophorum* &c. per Ger. Dorneum &c. Bas. 1577. 8. anglice Lond. 1659. 8. *de lapide philosophorum* tractatus germanice editi &c. Antwerp. 1572. *Thesaurus thesaurorum* &c. germ. Argent. 1574. *de tribus principiis omnium generatorum* &c. ed. Ad. Bodenstein, germ. Bas. 1574. 8. *de secretis creationis*, a Toxite editus liber, Argent. 8. *Centum quindecim curationes, experimentaque*, e germ. in lat. versa, 1582. 8. *Sextus liber de morbis calculosis & podagricis* &c. germ. Basil. 1574. 8. Libri 3. *de cura morbi galici*, germ. Norimb. 1530. 4. Argent. 1579. 8. *de Peste* tract. germ. Basil. 1575. lat. Oppenh. 1613. 4. Francof. 1622. 4. *Testamentum & Inventarium Paracelsi*,

Paracelsi, germ. Argent. 1574. 8. *Onomasticon vocum & præparationum aliquot collectum* per Adam. a Bodenstein, Bas. 1575. 8. *de restituta utriusque medicinae vera praxi* l. 1. Lugd. 1578. 8. *de summis naturæ mysteriis commentarii* 3. Bas. 1584. 8. *Wundarzney*, ib. 1586. 8. *Secretum secretorum*, ib. eod. 8. *vom wahren Heiligtum*, Neust. 1618. 4. *de limbo aeterno*, Magd. eod. 4. *Geheimniß aller seiner Geheimnisse*, Francof. 1770. 8. *natürliches Zauber-Magazin &c.* ib. 1771. 8. *Opera omnia* germ. Tomi X. Bas. 1589—1591. 4. it. Tom. II. Argent. 1616. fol. eadem Latina reddita Tom. II. Bas. 1575. 8.

VII. HIERONYMUS ARTOLPHUS, A. L. M. & Medicinæ Cand. ex Curia Rhætorum oriundus, natus est sub finem Sec. XV. bonisque literis ab ineunte ætate operam dedit. Nomen in Academia nostra professus, & in matriculam studiosorum receptus fuit a. 1509. Baccalaureus cum Bonif. Amerbachio a. 1511. & a. 1513. Magister Artium creatus. Dein Medicinæ operam dedit, gradumque in ea adsecutus est. Virfifio eruditus Professor vocatur, sed non addit, nec alibi investigari potuit, quid proprie professus fuerit. Interim, dum certior ei assignari poterit locus, Medicus inter Medicos stationem agat. Hoc constat, eum a. 1539. Decanatum philosoph. gessisse, eumque ipsi continuatum fuisse per biennium, ipsique Decano a. 1540. a Scholarchis atque Regentia commissum fuisse, ut Artium jura reformaret atque restitueret, studiosos in classes distingueret, omniaque in meliorem ordinem redigeret, quod & summa industria peregit, ipsiusque institutum ab Ordine suorum habitum publice fuit promulgatum. Academicum sceptrum gessit a. 1538. qui annus nobilitatus fuit frivola quæstione, quam nonnulli nomine Academicæ misere ludentes moverunt, disceptantes: *an Academia Ecclesiæ Christianæ pars esset?* Sanior pars, quæ bona fortuna superior evasit, contendit, Academicam id esse in Ecclesia, quod oculus in corpore; aliis adseverantibus, Academicam, cujus vocabulum cum parum piis scholis conveniat, parum dignam esse Ecclesia. Quæ vero controversia non nisi interposita summi Magistratus auctoritate dirimi potuerat. Obiit tandem vir doctissimus & de re literaria optime meritis magno studiosæ juventutis damno atque desiderio ex peste a. 1541. quo duorum insignium Theologorum filii, *Eusebius Oecolampadius*

padus & Guilielmus Zuinglius occubuerunt. Reliquit filium homonymum, qui patre Rectore Academix civibus fuit adscriptus.

VIII. GUILIELMUS GRATAROLUS, A. L. M. & Med. Doct. eximius, patriam habuit Bergamum, celebrem Italix civitatem, annumque natalem 1516. Pater ei fuit celebris Medicus, a quo artem medicam exquisitissime didicit. Cum in patria summos in philosophia atque medicina honores adeptus esset, cum uxore, *Barbara Nicolai*, nepteque *Elisabetha Gratarola*, Protestantium religionem libere professurus, a. 1549. in Germaniam abiit, & aliquamdiu Basilex privatus vixit. Anno dein 1551. Marpurgum vocatus Medicam professionem admittit. Basileam autem mox, anno nempe 1552. repetiit, ubi in Medicorum collegium receptus medicinam strenuissime docuit atque felicissime exercuit. Ordinis Medici Decanatum gessit a. 1567. Quanta peritia valuerit, illustri exemplo atque argumento est *Contr. Lycosthenes*, qui post Deum magni hujus viri studio ex gravissimo morbo revaluit. Ipse in prodigiorum ac ostentorum chronico p. 640. rem ita narrat: „ Cum „ apophthegmatum meorum editionem jam ad prælum „ pararem, egressus musæum d. 21. Dec. 1554. dira me „ paralysis corripuit. Quo sensim in terram dimissus, „ uno momento non tantum vocem, sed dextram cor- „ poris partem, totumque ejus sensum & motum a ca- „ pite usque ad calcem (solo visu ac auditu exceptis) „ adeo amisi, ut, nec verbum unum proferre ad 12. „ dies, nec pedibus insistere, nec digitum unum ad „ tres integros menses lecto infixus, movere potuerim. „ Videbantur membra non in ligna sed in lapides dur- „ rissimos conversa esse, dum sanguis læsæ partis ex „ humorum frigiditate & nervorum meatuumque ob- „ structione adeo gelidus, ac induratus, ut nec frica- „ tionibus, nec fomentis, nec aliis mediis quibus- „ cunque, caleferi vix tandem potuerint. Amisi tunc „ (dictu mirum) humoribus a capite per cerebrum de- „ fluentibus, adeo omnem memoriam, ut orationis „ Dominicæ verba, literarumque omnium notæ peni- „ tus exciderint. Meæ autem calamitatis testes sunt „ amicissimi mei, qui me animo quidem ac ratione sal- „ vum, sed tantum nutu loquentem non intelligentes, „ literis

„ literis alphabetico ordine in tabula creta depictis, ad-
 „ monebant, ut dicturus sinistrae manus indicio literas
 „ suo ordine ostenderem, ut sic ex literis syllabas, ex
 „ syllabis voces integras facientes, inde animi mei co-
 „ gitata, utcunque tantum elicerent: sed chyronium
 „ vulnus ac immedicabile malum videbatur. Quo fac-
 „ tum est, ut non ipse modo, sed omnes morbi atro-
 „ cissimi spectatores de vita mea desperarent. Verum
 „ Deus misericors, cujus virtus in infirmitate nostra
 „ perficitur, assiduas meas ac suae ecclesiae pro me pre-
 „ ces exaudiens, *D. Wilhelmi Grataroli*, Bergomatis,
 „ insignis Medici opera majori ex parte restituit. Si
 „ quid igitur ex ea vitae parte, quae adhuc residua mi-
 „ hi est, musis aut obelo dignum a me acceperis, Deo
 „ potissimum optimo maximo ac inde Gratarolo medi-
 „ co adscribas velim.” Sed Gratarolus ipse praematu-
 „ ra morte occubuit, prole carens, d. 16. Apr. 1568. re-
 „ licta uxore, *Barbara Nicolai*, quae a. 1569. maritum
 „ est secuta. Vitam Grataroli *Petrus Nigidius* senior ele-
 „ ganter his versibus expressit:

Doctrinam Papæ Gratarolus corde perosus
 Germanos cupide visere cœpit agros.
 Nobilis hunc misit Cattis Basilea, sed anno
 Vix semel exacto rursus eo rediit,
 sive quod Hassiaco non posset vivere cœlo,
 Sive quod in votis urbs Basilea foret.
 Hæc vita functi gelido nunc clara sepulcro
 Insignis claudit corpus & ossa Viri.

Grataroli opuscula edita sunt Lugd. 1558. 8. *Orationes*
 & opuscula varia de medicina & re rustica, Arg. 1563. 8.
 de memoria reparanda, augenda, conservanda, ac de remi-
 niscentia, Tig. 1553. 8. Bas. 1554. 8. Lugd. 1558. 16. de
 Prædictione morum naturarumque hominum facili ex inspec-
 tione partium corporis, Bas. 1554. 8. Tig. 1558. 8. de Lit-
 teratorum & eorum, qui magistratibus funguntur, conser-
 vanda præservandaque valetudine, Bas. 1555. 8. Francof.
 1596. 1617. 12. Paris. 1561. 12. de vini natura, artificio
 & usu, deque omni re potabili, Bas. 1565. 8. de regimine
 iter agentium, vel equitum, vel peditum, vel navi, vel cur-
 ru seu rheda libri 2. Bas. 1561. 8. Arg. 1563. 8. Col. 1571.
 Prognostica naturalia de temporum mutatione perpetua, Bas.
 1552. 8. ib. 1554. 8. de thermis Rhatcicis, Venet. apud
 Juntas, cum aliis similibus, in opere de Balneis, 1553. fol.

Notæ

Nota in Pomponatium de incantationibus, Bas. 1556. 8. *Equorum & domesticorum aliquot animalium remedia* annis 25. collecta. *Vera Alchimie modus*, Bas. 1561. 8. de peste theses, Bas. 1565. 8. de notis Antichristi; *praxis medica*; scripsit præterea *correctiones & additiones* in librum italicum falso attributum Gabr. Fallopio, cujus titulus est: *Secreta Fallopii. Censuram* in primum librum Alexii Pedemontii, in quo medica tractat. *Modum faciendi quintam essentiam simplicium; de viribus, usu ac mixtione aquæ ardentis*, Bas. 1593. 8. *Joannem de Rupefissa de extractione quintæ essentia omnium rerum*, potissimum pro usu medico, auxit optimis rebus, ejusdem aut similis argumenti, Bas. 1561. 8. *Chemicorum præcipuorum volumen, cum præfationibus, prolegomenis & obscurorum aliquot locorum declarationibus*, Bas. 1561. fol. 1572. 8. Præterea aliorum opera partim dudum edita, partim nunquam edita, correxit, uti sunt: *Petri de Albano vel Apano libellus de venenis*, ad manuscriptum exemplar: cui adjecit insuper multa ejusdem argumenti utilissima, nec antea in lucem edita, 8. *Chirurgicus libellus* per justa capita distinctus, gallica lingua scriptus. *Scriptores, qui consilia & curationes de sudore anglico annotarunt. Theatrum Galenicum Aloisii Mundellæ*, completum & in meliorem ordinem redactum, Bas. 1568. fol. *Thadæi Florentini & Guilielmi de Brixia consilia medica. Wilhelmi Aneponymi dialogus de substantiis physicis*; incerti auctoris libri tres *de calore vitali, de mari & aquis, de fluminum origine* industria G. Grataroli ab interitu vindicati, Arg. 1567. 8.

PROFESSORES MEDICINÆ PRACTICÆ.

I. OSWALDUS BERUS, Academiae Basiliensis *Janus* vocatus, ut qui Jani cujusdam bifrontis ad instar, uti veterem Academiam, errorum inundatione vastatam, Rector illius ultimus, clausit, ita per *πάλιν ὁσείσκειν* repurgatæ fores referavit, clavi moderamen primus ipse contingens, natione fuit Athesinus, natusque a. 1482. A prima ætate bonas literas, & quidem, quas vocant, humaniores, paucis illo tempore excultas, amavit atque excoluit. Mature Argentorati scholæ Carmelitanæ gubernacula tenuit, in quo munere impigre est versatus, non modo juventutem bonas literas sed & bonos mores docendo, cum in unum volumen collegerit & in schola